

Joachim Lütkemann

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Joachimus Lutkeman, Theol.
Licentiatus ... Ad Exequias Quae Viro ... Dn. Nicolao Schmidt/ Civi Rostochiensi
primario Hodierna prima a relicta Vidua in templo Mariano parabuntur Cives
Academicos invitat**

Rostochi[i]: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77742536X>

Druck Freier  Zugang



Lutkeman, J.,
in
N. Schmidt.

Rost. 1647.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77742536X/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77742536X/phys_0003)





PROGRAMMA 71.
Quo
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOACHIMUS LUTKEMAN,
Theol. Licentiatus; Ecclesiastes &
Professor Physices Metaphysicesq;
Ordinarius.

AD EXEQUIAS
Quo
Viro Integerrimo
DN. NICOLAO
Schmidt /
Civi Rostochiensi primario

Hodierna prima à relicta Vidua in templo Maria-
no parabuntur
Cives Academicos invitati.



os(O)so



ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XLVII.



Nigne animal vivere posse, propter summam Elementi activitatem, difficile est ad fidem. Augustinus tamen (de C. D. l, 21.) Salaman-dram aliaq; animalia corruptibilia, in mediis ignibus vivere asserit; nonnullum etiam vermium genus in aquarum calidarum scaturigine reperiri, quarum servorem quamvis nemo impunè contrectet, vermes tamen illos, non solum sine ulla sui læsione ibi esse, sed extra, non posse. Exempla quia à nobis visa non sunt, impossibile iudicatum fuit, quod Creatoris potentiam nequaquam excedit. Uti enim facere potuit, ut quod uni animalium generi est venenum, alteri sint deliciæ; ita jubere eidem integrum fuit, ut elementū aliquod foveat animalia certa, quod necem affert aliis. Neq; enim in omnibus eadem naturæ constitutio. Quid notius est vivere in aere, quæ moriuntur in aquis, & aquis gaudere, quæ aerem ferre nequeunt? Quid-ni igitur corpus condere posset Dictator summus, quod vivat in ignibus, nec tamen doleat. Sacrae Scripturæ autoritate ignem esse credere jubemur, qui corpora hominum, æterno asscri-
ptorum

ptorum suppicio, cruciat non consumit. Ut
trumq; mirabile, in ignibus sine dolore vivere,
& sine interitu dolere. Prius possibile esse natu-
ra afferit, posterius certum esse, divina scripturæ
autoritas convincit. Non tamen nulla mors erit
in igne infernali, sed sempiterna mors. Ethoc
mirabile est, mortem in igne dici sempiternam;
quid enim hoc aliud est, quam mori & non mori?
Nec vivere poterit anima, Augustinus ait, (l. d.)
Deum non habendo, nec doloribus corporis carcere,
moriendo. Quis qualisve infernalis ille ignis sit,
quando paratus, & quo conservetur fomento,
multum hic disputare, nihil attinet. Id certum
est, longè alium à nostro igne esse illam flam-
mam, quæ vitiorum ultrix, ipsis non parcit spiritibus,
corpora torquens, nunquam absunit;
concremans, non lucet. Noster ignis, illi flam-
mæ comparatus, instar pictæ flammæ se habet;
tempore tamen prior extitit. Cū enim in scriptu-
ra sacra (Matth. 25, 41.) infernalis ignis Diabolo
paratus dicitur, & Angelis ejus, calefieri infernus
prius non potuit, quam defecerint Angeli: Ante
Sabbatum autem nulla creatura lapsa est; Vedit
enim Deus omnia quæ creaverat in cœlo & ter-
ra, & erant valde bona. Sed qua ratione qui quie-
vit ab omni opere, post Sabbathum Creationis
novum paravit domicilium pro damnatis & re-

A 2

jectis?

jectis? aut quomodo succendi cœpit infernalis
aliquis ignis? Invenio aliquam opinionem, quam
ascribere non vereor, judicium Lectori relin-
quens (Videatur Gabriel Inchinus Canonicus
Regul. Lateranen. de inferno, parte i. Membro 5.)
Lucifer & socii ejus, dum de cœlo corruerunt,
ignem secum detulisse existimantur, quo loca
subterranea & sulphurea, quæ cadentes attigere,
inflammarunt. Atq; ne sine fundamento hæc dici
videantur, adducitur effatum aliquod Christi
ex Evangelio Lucæ (c. 10, 18.) *Videbam Sathanam*
sicut fulgur de cœlo cadentem. Cui dicto hic sen-
sus tribuitur: Notum vobis facio discipuli mei,
Angelis in cœlo rebellantibus, cum ibidem præ-
sens essem, me vidisse Sathanam rebellium prin-
cipem, de cœlo instar fulguris corruentem. At
quomodo labitur fulgur? Nonne secum defert
ignem, & quæcunq; loca transeundo attigerit,
si ad flamمام concipiendam idonea sunt, in-
flammat? Quamvis jam satis calidus sit, hic ignis, ei tamen magnas in fervore vires accessuras
esse putant, quando in fine mundi omnia à calore
elementa solventur; siquidem, juxta Basilium
(explicantem illud dictum psalmi: *Vox Domini*
intercedentis flamمام ignis) In fine mundi sex o-
mnium elementorum, & proprietates eorum
læsiyæ, virtute divinâ separabuntur ab eis, &
ad

ad malorum cruciatum ad infernum mitten-
tur. (Videatur denuò Inchinus l.d. membro 4.)
Ego ut de initio gehennæ sic etiam de duratione
id sentio quod Paparum sanctissimus Gregorius
scripsit (l. 15. Moralium c. 14.) *Noster ignis corpo-
reus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis.*
*Qui cum necesse est, ut servetur, per congesta ligna pro-
eul dubio nutritur; nec valet nisi succensus, esse, & nisi
refotus, subsistere. At contra gehennæ ignis, nec studio
humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus se-
mel, durat inextinguibilis.* Hæc ille. Voce omnipotentis in pñnam improborum ignis infernalis se-
mel esse cœpit; voce omnipotentis ardorem su-
um in æternum sine lignis retinebit. Sed quo de-
labimur? In tanto gehennæ incendio hominem
sine interitu cruciari posse, mirari tantum cœpi-
mus; sicut nec minus in admiratione nos rapit,
quod animalia in Elementari incendio ita vive-
re audimus, ut extra illud vivere non possint. Sed
utrumq; superat, quod NICOLAUS Schmidt/
Civis & Mercator Rostochiensis primarius, dum
aliquando in sævas manus, sine lege imperantis
Martis, inciderat, & ignis & omnia alia tormenta,
& constanter tolerare & fortiter vincere potu-
erit vivus & animo nequaquam fracto. Ibi enim
quicquid corpori accidit, ex sola Dei voluntate

A 3

sit;

fit, corpora ita disponentis, ut sive velint sive no-
lint, ferant quod à summo Gubernatore consti-
tutum est; hic autem nullum naturæ robur ad-
suit, nec Dei absolutè imperantis dispositio ad-
duci potest, sed spiritus Christi in infirmitate hu-
mana potenter operantis virtus laudanda est. Is
ipse Vir, nunc insuper per beatum obitum omni
erucis igne altior factus & ipsum inferni ignem
superavit, sanguinis Christi beneficio usus, o-
mnem gehennæ fervorem extinguentis. Postea-
quam enim quo uordecim dierum spatio, circa
collem suppurans ulcus abscesserat, id invale-
scens corpus fragile enecare facile potuit, ani-
mam autem ab amplexu nostri Salvatoris, cui ad-
hæsit, divellere non valuit. Obiit die 4. Maji in-
tra quartam & quintam vespertinam, Anno æta-
tis sexagesimo tertio, ter viduus, quater uxoratus.
Nam natus est Vir Integerrimus NICOLAUS
Schmidt, hic Rostochij Anno 1585, die 28. Julij.
patre BALTHASARO Schmidt Cive
Rostochiensi, Matre MARGARETA Engelsen.
Per baptismum Christo tanquam arbori vitæ in-
sertus, in pietate & timore Domini educatus est.
Patrem amisit puer vix octo annorum, Vitricum
tamen per Dei gratiam invenit paterno favore si-
bi addictum. Atq; hujus cura, siquidem ad rem
nauti-

nauticā animū appulerat, Rigam Livonū
ablegatus est, Anno 1610. In patriam reversus, &
in œconomicā prudentia satis instrūctus, pri-
mum conjugium contraxit cum Honestissima
fæmina ANNA Knacken, HENRICI MICHAE-
LIS viduā, & unius filiolæ, quam tamen diu vide-
re non potuit, factus est parens. Nec ipsum con-
jugium longè ultra annū duravit. Per quatuor annos vi-
duus alteram uxorem duxit, itidem Honestissimam fæ-
minam MARIAM ARPEM, Dni FRICK TOBIES
viduam, eiq; concorditer quatuor annos, sed sine prole,
convixit. Secunda vice viduus post duos annos tertiam
vitæ sociam elegit lectissimam & pudicissimam Virgi-
nem ANNAM WESTPHALS, Viri Reverendi & Cla-
rissimi Dni. M. JOACHIMI WESTPHALS Pastoris
ad D. Jacobi & Ministerij Rostochiensis Superinten-
dentis ex MAGDALENA Krawels / dilectissimam
fillam, eamq; sibi matrimonio junxit Anno 1624. 7. Se-
ptembris. Hujus jucundissimo consortio pér 16. annos
frui, & amoris conjugalis pignora sena amplecti licuit; ex
quibus duæ filiolæ in prima infantia mortem cum vita
commutarunt; tres adhuc filiæ WENDULA, CA-
THARINA & ANNA, unicus item filius NICO-
LAUS, divina sustentante gratia, adhuc vivunt. Sed nec
hoc ultimum conjugium esse debuit, sed tertio in alte-
rum usq; annum viduus, ad ultimas nuptias progressu-
rus, Fæminam honestissimam ANNAM Harms/
FRANCISCI Rumpet viduam sibi desponsavit, Anno
1642, eamq; per sexennium ut fidelissimam vitæ sociam
amayit, sed prolem ex ea nullam suscepit. Ab oneribus
publi.

publicis, quod fides ejus & industria neminem laterē poterat, non debuit esse liber, receptus primum in Centum virorum ordinem ; post ad intimiora consilia admissus, Sedecim - Viris annumeratus fuit. Ædi quoq; Divæ Mariæ præfектus, sedulum se ut ubiq; præsttit. Sed præteriere hæc omnia, viætæ omnes sollicitudines , viætæ omnes molestiæ, cum placidè in Christo obdormivit. Vir bonus, Civis fidelis , Miles Christi fortis, ac Ministerij Ecclesiastici fautor beneficus, Benefactorum Laudem Deo relinquo , nec beneficiarij beneficij vivent imme- mores. Nostrū esse arbitror Cives Academicī , extremū exhibere honorem tā probō viro in funere , quod ei ho- diè hora prima in templo Marianō fiet ; Qnod ut facia- tes, officiosè rogo. Sapientes deprædicabo, qui defuncti hujus Viri exemplo omnes calamitates ipsumq; gehen- næ ignem superare studebunt, ne opus sit aliquando i- stam mortem detestari, quæ impios perennibus cruciat supplicijs, alteram autem , quæ ut in æterna æterni in- cendii morte vivas, à te figit, incessabiliter deside- rare, sed frustra. P. P. Rostochij 7. Maij

Anno 1647.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77742536X/phys_0013](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77742536X/phys_0013)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77742536X/phys_0014](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77742536X/phys_0014)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77742536X/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77742536X/phys_0015)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77742536X/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77742536X/phys_0016)



nauticā animū appulera
ablegatus est, Anno 1610. In
in œconomica prudentia sa-
mum conjugium contraxit
fæmina ANNA Knacken/HI-
LIS viduā, & unius filiolæ, quae
re non potuit, factus est par-
jugium longè ultra annū duravit.
duus alteram uxorem duxit, itidem
minam MARIAM ARPEM, d.
viduam, eiq; concorditer quatuor
convixit. Secunda vice viduus p-
vitæ sociam elegit lectissimam d.
nem ANNAM WESTPHALS,
rissimi Dni. M. JOACHIMI W-
ad D. Jacobi & Ministerij Rost-
dentis ex MAGDALENA S-
fillam, eamq; sibi matrimonio jun-
ptembris. Hujus jucundissimo c-
frui, & amoris conjugalis pignora
quibus duæ filiolæ in prima infan-
commutarunt; tres adhuc filiæ
THARINA & ANNA, uni-
LAUS, divina sustentante gratia,
hoc ultimum conjugium esse debu-
rum usq; annum viduus, ad ultimū
rus, Fæminam honestissimam d.
FRANCISCI Kumpen viduam si-
1642 eamq; per sexennium ut fid-
amayit, sed prolem ex ea nullam.



the scale towards document

Livonum
versus, &
tus, pri-
estissima
MICHAE-
n diu vide-
plum con-
r annos vi-
ssimam fæ-
TOBIES
sine prole,
nos tertiam
iam Virgi-
endi & Cla-
LS Pastoris
uperinten-
ectissimam
624. 7. Se-
r 16. annos
ti licuit; ex
n cum vita
LA, CA-
us NICO-
nt. Sed nec
tiò in alte-
progressu-
M Harms/
vit, Anno
itæ sociam
o oneribus
publi-

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Patch Reference numbers on UTT Serial No. 032